



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De Horis Canonicis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

ad tempus: qua in re standum erit iudicio prudentis, & docti Confessarij, iuxta ea, quæ de hac re viri docti docuere, inter quos ultimo loco copiosè scripsit Hieronymus Trimarchius opusc. de hac ipsa re: & multa etiam habet Diana 1. par. tract. 4.

DE HORIS CANONICIS.

1 **H**oræ Canonice sunt septē, scilicet Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium, prout continentur in Breviario Romano. Agunt de hac materia Suarez tom. 2. de Relig. tr. 4. l. 4. Fillius. 10. 2. tr. 33. à c. 3. Azor. 10. 1. lib. 10. Sanchez. 10. 2. Consil. lib. 7. c. 2. Bonac. 10. 1. tract. de hac re.

2 Tenentur has horas recitare omnes cōstituti in sacris Ordinibus: Regulares professi iuxta instituta, vel cōsuetudines suarum Religionum: & demum omnes habentes beneficium Ecclesiasticum: quæ recitatio potest fieri cum socio alternatim.

3 Recitatio Officij diuini debet esse vocalis, ita vt voce exprimātur syllabæ, & verba, etiam si non audiantur ab alijs,

quando priuatim recitatur. Debet præterea fieri cum intentione, saltem implicita, orandi, & cū attentione aliqua, vel ad sensum verborū, vel ad Deū, & res sacras, vel saltem ad verba proferenda.

4 Debet integrè recitari singulis diebus, ita vt omissio vnus horæ sit peccatum mortale: vel etiã omissio partis notabilis, vel maioris vnus horæ; non autè minimæ, vt omissio vnus psalmi, aut quid simile. Omissio omnium horarum, aut multarum, an sint tot peccata, quot sunt horæ omissæ, aut vnum æquiualens multis; parum refert: expeditius erit cōfiteri numerum horarum omissarum, vt iuxta quantitatem delicti, imponatur pœnitentia.

5 Debet recitari Officium iuxta formam Breuiarij Romani, secluso privilegio: nec potest ad libitum, & semper recitari vnum Officium pro alio, sine mortali. Quòd si ex ignorantia, vel inadvertentia, vel ex aliqua occasione ratio id fieret; non esset mortale ex paruitate materiæ, nec esset obligatio recitandi Officium illius diei.

6. Matutinum, & Laudes subsequens
diei

dici possunt dici post Completoriū antecedentis diei, & inchoari possunt in Sicilia, data hora 21. horologij ordinarij, etiam in hieme, iuxta consuetudinē receptam ferè in tota Italia. Nam in tabella impressa Romæ, & approbata dicitur, mense Decembri & Ianuario, in quibus mēsis esse poterat aliqua difficultas, posse inchoari Matutinum hora 21. cū vno quadrante. At verò tanta distātia est Romæ à meridie vsque ad horam 21. cum vno quadrante, quanta est in Sicilia à meridie ad horam 21. Mense verò Iunio & Iulio in eadē tabella dicitur posse inchoari vno quadrante ante 20. horā. In alijs verò mensibus intermedijs plus minusque inter hæc duo veluti extrema. In alijs autē regionibus propter diuersam longitudinem dierum & noctiū, seruetur vsus in illis approbatus. De qua re Legi potest *Sanch. loc. cit. dub. 37. & Diana par. 4. tr. 4. miscell. resol. 9.* Reliquæ horæ non possunt dici, nisi post medianam noctem. Prima, circa auroram, Tertia, Sexta, & Nona ante meridiem, Vesperæ, & Completorium post meridiem, iuxta Rubricas Non seruare autem præ-

sis, & exatè hunc ordinè, si sine causa vlla fiat, & immoderatè; ad summū erit veniale: dummodo non fiat ex contemptu. Similiter inuersio ordinis horarum, vt si dicatur Tertia ante Primam, &c. non est per se mortale: nec tamen fieri debet sine causa, sicuti nec Missa celebrari ante Matutinum.

7 Inter Matutinū, & Landes, & alias horas potest fieri quæuis interruptio: at inter partes vnus horæ inter se, si sit notabilis interruptio, & sine causa; erit veniale. Inter nocturnos Matutini potest fieri interruptio per duas, vel tres horas.

8 Excusantur à recitatione diuini Officij, qui saltem moraliter essent impotentes ad illud recitandum iudicio prudentis viri: vt si non haberent Breviarium sine culpa, nec scirent memoriter: si aliquo opere necessario Charitatis, aut iustitiæ essent aliquo die omnino impediti: item ægroti iudicio Medicorum, aut Superioris, aut prudentis, & experti viri, etiam ipsi ægroti.

9 Si quis ex rationabili causa nō potest recitare præcipuam partem Officij diuini; non teneretur ad alias: si autem præ-

principales partes potest; tenetur ad illas, etiam si non possit totum.

10. Præceptum recitandi Officiū pro Subdiaconis, incipit ab hora sexta illius diei inclusivè, quo recipit Subdiaconatum: pro beneficiarijs verò à die possessionis beneficij, siue actu percipiant fructus, siue habeant spem percipiendi. Quòd si fructus sint valde tenues, sufficit recitare Officium festis diebus, iudicio docti viri.

11. Beneficiarius, licet primis sex mensibus, non recitando Officium, peccet mortaliter; tamen non tenetur ad restitutionem fructuum: tenetur autè si post sex menses non recitet: & quidem pro rata omissionis, & fructuum beneficij, considerata qualitate beneficij, iudicio docti viri. Plura de beneficiarijs, & de recitantijs horas canonicas in Choro, legi possunt apud *Suar. 10. 2. de Relig. l. 6. & alios.*

12. Præterea Clericis in Sacris, & Religiosis, ut cōmodius rebus divinis vacent, prohibita est Negotiatio per se ipsos. Est autem negotiatio, cum quis rem aliquam comparat, ut eam integram, &

immutatam vendendo, lucretur. Itē non possunt conducere aliena prædia, vel vineas, &c. vt vendendo fructus lucrificent. Est autem mortale, nisi excuset paruitas materiæ, aut ratio fiat. *Vide Lessium lib. 2. cap. 2.*

CASVS RESERVATI IN Bulla Cænæ Domini.

- 1 **H**æretici cuiuscumq; sectæ, eorundem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & schismatici.
- 2 Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores.
- 3 Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.
- 4 Naufragorum Christianorum cuiuscumque generis bona, etiam in litibus inuenta, surripientes.
- 5 Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes.
- 6 Falsificantes litteras Apostolicas, aut falsò fabricantes.
- 7 Deferentes arma, & alia vsui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos: & ad Reipublicæ Christi-